prohibuerit: capitaliter puniatur: hoc ipſo & [1] in litaniis [2], in quibus epiſcopi aut clerici reperiantur, cuſtodiendo. Et ſi quidem injuriam ſolum fecerit, is verberibus exilioque tradatur. Si vero etiam litaniam [3] concuſſerit, capitale periculum ſuſtinebit: & vindicare jubemus non ſolum civiles, ſed etiam militares judices.

CAP. XXXII.

Ne laici [4] faciant litanias ſine epiſcopo & clericis, & crucibus.

OMnibus autem laicis interdicimus litanias [5] facere ſine ſanctis epiſcopis, & qui ſub eis ſunt reverendiſſimis clericis. Qualis enim eſt litania [6], in qua ſacerdotes non inveniuntur, & ſolennes orationes faciunt? Sed & ipſas honorandas [7] cruces (cum quibus & in litaniis ingrediuntur) non alibi, niſi in venerabilibus locis reponi: & ſi quando opus vocaverit ad litanias celebrandas, tunc ſolum ipſas ſanctas cruces accipere eos qui conſuete eas portare ſolent, & cum epiſcopo & clericis litanias celebrare: hoc cuſtodientibus ſanctiſſimis locorum epiſcopis, aut etiam eorum clericis, & per loca judicibus. Si quis autem in hoc capitulo præſentis noſtræ legis virtutem aut tranſcenderit, aut non vindicaverit: prædictas pœnas patietur, monaſteriorum & reverendiſſimorum monachorum diſpoſitione.

CAP. XXXIII.

REliquum nobis eſt & de venerabilibus monaſteriis & reverendiſſimis monachis formam dare. Illud igitur ante cætera dicendum &c.

Tranſcribitur hic in Græco totum primum caput Novellæ quintæ ſupra [8].

CAP. XXXIV.

Ut abbas non tam antiquitate quam bona exiſtimatione cenſendus ſit & eligendus.

JUbemus igitur, abbatem [9] aut archimandritam in unoquoque monaſterio ordinari, non [10] omnino ſecundum gradum [11] monachorum: ſed omnes [12] monachi melioris opinionis exiſtentes eum eligant propoſitis ſacroſanctis evangeliis: dicentes quia neque propter amicitiam, aut aliam quamlibet cauſam, ſed ſcientes eum & fide [13] rectum, & vita caſtum, & gubernatione dignum, & qui poſſit monachorum diſciplinam, & omnem monaſterii ſtatum utiliter cuſtodire, eum elegerunt: & ſanctiſſimum epiſcopum ſub quo monaſterium conſtitutum eſt, eum qui ita electus eſt, modis omnibus abbatem ordinare. Hæc autem omnia quæ a nobis diſpoſita ſunt pro ordinatione abbatum, valere præcipimus & [14] in venerabilibus fœminarum monaſteriis & aſceteriis.

CAP. XXXV.

De monachis non [15] ſtatim veſtiendis.

SI quis autem ad monaſticam vitam venire voluerit: jubemus, ſi quidem notus eſt quia nulli fortunæ ſubjacet, abbas monaſterii ſi perſpexerit, ſchema ei præbeat. ſi vero non cognoſcitur, aut cuilibet fortunæ ſubjaceat: intra tres [16] annos non accipere eum ſchema [17] monaſticum: ut intra memoratum tempus experiatur [18] hujus hominis converſationem monaſterii præſul. Et ſi intra triennium aliquis emerſerit dicens aut ſervum, aut colonum, aut adſcriptitium ſuum hunc eſſe, aut etiam tanquam fugientem agriculturam, aut quaſi aliquid rapientem, aut propter aliquam culpam in monaſterium eum ingreſſum: proprio domino hunc reſtitui cum rebus quas probatur in monaſterium introduxiſſe: jurando [19] primum, quia [20] nihil patietur a ſuo domino percipiente. Si autem intra triennium nullus convenerit, aut inquietaverit, aut contra aliquam memoratarum perſonarum quæſtionem fecerit, abbas monaſterii poſt tranſcurſionem triennalis temporis, ſi talem virum dignum judicaverit: tunc det ei ſchema, & nullus ſit ei poſtea moleſtus propter fortunam, donec tamen deget in monaſterio. Res autem quas in monaſterium introduxiſſe videtur, illæſæ domino reddantur. Si quis autem memoratarum perſonarum reliquerit monaſterium, & ad ſæcularem venerit vitam, aut in civitatibus, aut in agris circumiens, propriæ fortunæ reddatur.

CAP. XXXVI.

Ut monachi in uno conclavi habitent [21].

IN omnibus autem monaſteriis, quæ [22] cœnobia dicuntur, jubemus ſecundum canones monachos in uno habitaculo [23] omnes ſeparatim dormire, ut mutuum alterutris teſtimonium caſtæ converſationis præbeant: niſi quidam tamen ex eis aut propter longævam in monaſterio converſationem quiete volentes vivere, aut ſenectutis atque corporis infirmitatis cauſa in remotis cellulis [24] intra monaſterium conſtitutis degant: & hoc cum conſcientia & voluntate Abbatis [25] fieri. Hæc omnia in monaſteriis & aſceteriis fœminarum ſervantibus, in nullo loco noſtræ reipublicæ eſſe [26] monaſteria permittimus aliter. Ubi autem monaſterium invenitur, omnibus modis jubemus viros a fœminis ſeparari, & fœminas quidem in quo ſunt monaſterio remanere: viros autem aliud monaſterium ſibimet facere. Si vero plura ſunt monaſteria, ut neceſſe non ſit nova monaſteria ædificare: locorum ſanctiſſimus Epiſcopus monachos cum monachis, & fœminas cum fœminis ſeparare [27], & in aliis monaſteriis congregare procuret. quæcunque vero habentur communia, inter eos ſecundum competens eis jus dividere. Fœminis autem quemcunque ipſæ elegerint [28] ſive presbyterum, ſive diaconum, ad faciendum eis reſponſum [29], aut ſanctam eis communionem portandam [30]: ſanctiſſimus epiſcopus ſub quo ſunt, deputet, quem recta fidei, & vitæ bonæ eſſe cognoverit. Si vero qui ab eis electus eſt, non ſit presbyter aut diaconus, dignum tamen eum hujusmodi miniſterio epiſcopus judicaverit: ordinationem ei imponat, qui dignus eſſe videbitur, ut reſponſa (ſicut dictum eſt) monaſteriis diſtribuat: ita tamen, ut neque ſic electus ad reſponſa fœminarum, in monaſterio maneat.

CAP. XXXVII.

Conditionem nuptiarum vel liberorum non extare ſi quis monaſterium ingrediatur.

SI quis ſub [31] conditione nuptiarum ſive liberorum, ſive dotis cauſa, ſive antenuptialis donationis donaverit ſive reliquerit ſuis liberis, ſive alii cuicunque perſonæ hereditatem, ſive legatum, aut ab initio pure relinquens eis, oneret eos ſubſtitutione, aut reſtitutione, aut ſub una prædictarum conditionum reliquerit, vel donaverit: ſubſtitutiones vero vel reſtitutiones eis fecerit, adjectis conditionibus quibuscunque ex iis quæ ſuperius enumeratæ ſunt: ſancimus, ſi perſonæ talibus conditionibus ſubjectæ, ſive maſculi, ſive fœminæ, monaſteria ingrediantur, aut clerici, aut diaconiſſæ, aut aſcetriæ fiant: tales conditiones [32] invalidas & pro non ſcriptis eſſe, hoc autem ſolatio & clerici & diaconiſſæ eccleſiarum fruantur, ſi usque ad ſuam vitam in his perſeveraverint, ut res ſub tali conditione donatas aut relictas, ad pia opera expendant aut relinquant. In perſonis enim quæ in monaſterium vel aſceterium ingrediuntur & relinquunt hujusmodi converſationem caſtam: monaſterio aut aſceterio ubi a principio ingrediuntur, res ſub tali conditione donatas aut relictas, cum alia eorum ſubſtantia competere volumus. Si tamen in redemptionem [33] captivorum, aut egentium alimenta ſub prædictis conditionibus ſubſtitutio aut reſtitutio fiat: ex nullo memoratorum modo eam excludi permittimus [34].

CAP. XXXVIII.

Ut qui monaſteria ingrediuntur, ſe ſuaque [35] dedicent monaſterio.

SI [36] qua mulier aut vir monaſticam elegerit vitam, & intraverit monaſterium: filiis non extantibus, monaſterio quod ingreditur, res ejus competere [37] jubemus. Si vero talis perſona filios habeat, & non antequam intret monaſterium, de ſuis rebus fecerit diſpoſitionem, & legitimam partem filiis deputaverit: etiam ſic liceat ei poſtquam monaſterium [38] ingreditur, ſuam facultatem in proprios dividere filios: ita tamen ut nulli filiorum ſuorum minuat [39] legitimam partem, quam vero non dederit filiis partem, monaſterio competat. Si vero omnem ſubſtantiam inter filios dividere voluerit, propria ſua perſona filiis connumerata, unam ſibi partem omnibus modis retineat, quæ debeat juri monaſterii competere. Si vero in monaſterio degens moriatur antequam inter filios ſuos proprias diſtribuat res, legitimam partem filii percipiant: reliqua vero ſubſtantiæ pars monaſterio competat.

CAP. XXXIX.

Ut ſolutis ſponſalibus per monaſterii ingreſſum ſimplæ tantum arrhæ reddantur.

SPonſalibus [40] quoque ſecundum leges factis inter aliquos, ſive ſponſus monaſterium ingrediatur, recipiat quæ pro ſponſalibus arrharum nomine ſunt data: ſive ſponſa monaſticam vitam elegerit, illa ſolummodo reddat quæ ſimiliter arrharum nomine accepit: pœna utrique parti concedenda.

CAP. XL.

Si vir aut uxor ingrediatur monaſterium.

SI vero conſtante [41] adhuc matrimonio, aut vir ſolus, aut uxor ſola intraverit monaſterium, ſolvatur matrimonium, & citra repudium, poſtquam tamen perſona pergens ad monaſterium ſchema perceperit. Et ſi quidem vir elegerit monaſticam vitam, reſtituat prius mulieri dotem, & ſi quid aliud ab ea receperit, & ſuper hoc ex nuptiali donatione tantam partem quanta ex morte viri competebat mulieri, ſecundum pactum dotalibus inſtrumentis inſertum. Si vero mulier fuerit monaſterium ingreſſa, ſimili modo retineat vir nuptialem donationem [42], & caſum dotis ex morte mulieris placitum: reliquum vero dotis mulieri reſtitui præcipimus, & ſi quid aliud ex rebus mulieris apud eum inveniatur. Ambobus autem monaſticam vitam eligentibus, jubemus vacantibus dotalibus placitis, virum retinere donationem antenuptialem, & mulierem propriam accipere dotem, & quicquid aliud viro dediſſe probetur: ut unusquisque citra damnum ſuis fruatur rebus: niſi forte ſponſus ſponſæ, aut ſponſa ſponſo, aut maritus uxori, aut uxor marito aliquid donare aut cedere voluerit: quoniam neque ex pactis nuptialibus viro aut mulieri lucrari aliquid conceditur.

CAP. XLI.

Ne liceat parentibus exheredare filios qui ingrediuntur monaſteria, velut ingratos.

NUllam vero licentiam damus aut parentibus filios aut filiis parentes,

1 Argumentum a perturbatore myſterii ſacri, ad eum, qui litanias perturbat. 2 Litaniæ, ſupplicationes. 3 Λιτήν. 4 Λιτάς. *Scrimg.* quas *Nov.* 67. vocat δημοσίαν πρόοδον, *une proceſſion publique.* 5 De litaniis laicorum Jul. *hic n.* 480. 6 Litaniæ ſine ſacerdotibus non fiebant. In iisdem fiebant orationes & cruces præferebantur, *ut hic*, nocte & die celebratæ *l.* 3. §. 1. *C. de hæreticis.* 7 Vide quæ ſcripſi ad Novellam Leonis 72. 8 Jul. etiam hoc caput ignorat. 9 Τὸν ἀββᾶν ἢ τὸν ἀρχιμανδρίτην. *Scr.* ἡγούμενον vocat *Ecl.* 4. *tit.* 1. *c.* 2. 10 Jul. *hic n.* 481. 4. *Ecl.* 1. *c.* 1. 11 Οὐ κατὰ βαθμόν, id eſt, non ejus, qui ordine primus, ſecundus, tertius, & ſic deinceps: ſed qui optimus. 12 Abbates eligebantur a monachis. 13 Abbatis dotes. 14 Ut ſc. Abbatiſſæ eligantur a monialibus. 15 *Nov.* 5. *c.* 2. Jul. *hic n.* 483. 4. *Ecl.* 1. *c.* 3. 16 *d. c.* 2. *d. c.* 3. 17 Schema ſeu habitum monachi obſerva: erant autem diverſi a laicis habitu: diverſi, inquam, veſte & tonſura. *Nov.* 5. *c.* 2. *in pr.* 18 Triennium præfinitum probandis iis, qui monachiſmum affectant. 19 Λόγον λαμβάνοντα *Græci hic, luy ayant baillé la parole.* vide *Nov.* 5. *c.* 2. §. 1. 20 *Novell.* 5. *c.* 2. *Novell.* 17. *c.* 14. *l.* 6. §. 5. *C. de his qui ad eccl. confug.* 21 Hoc verbo intelligunt Græci τὸ οἰκεῖν, τὸ καθεύδειν, τὸ τρέφεσθαι. 4. *Ecl.* 8. *c.* 4. adde Jul. *hic num.* 483. 22 Monaſteriorum videntur quædam fuiſſe, non κοινόβια, in quibus in communione non vivebatur. 23 Οἴκῳ. *Nov.* 5. *c.* 3. 24 Κελλίοις. adde 4. *Ecl.* 1. *c.* 18. de cellulis monachorum dicam ad *Novell.* 133. *c.* 1. 25 Τῷ ἡγουμένῳ. *Scrimg.* Egumeni Jul. *hic.* 26 Ita Græci legunt, κατ' ἰδίαν δὲ τόπον τῆς ἡμετέρας πολιτείας ἐν ἑνὶ μοναστηρίῳ μοναχοὺς καὶ μοναστρίας οἰκεῖν ἢ τὰ λεγόμενα διπλᾶ εἶναι μοναστήρια συγχωροῦμεν. *Scrimg.* id eſt, In nullo noſtræ reipublicæ loco concedimus, ut in uno monaſterio monachi ſint, & monaſtriæ habitent: & ut appellantur, duplicia ſint monaſteria. *Hal.* ſed nec ea quæ duplicia vocantur. Julian. *hic.* Id etiam conſtitutum fuit Nicena ſynodo 2. *c.* 20. & epiſtola quadam Cypriani. adde *l.* 44. *C. de epiſc.* 27 Jul. *hic n.* 484. 28 Monaſtriæ ſibi eligebant unum diaconum vel presbyterum, quo utebantur diribitore ſacræ communionis, & ad reſponſa. 29 Εἰς τὸ ποιεῖν αὐταῖς τὰς ἀποκρίσεις. *d. l.* 44. apocriſiarium intelligit Julian. *hic.* de quo dixi ad *c.* 25. *ſ. hic.* 30 Αὐταῖς ἁγίαν κοινωνίαν φέρειν. *Scrimg.* videtur ergo communio ſacra interdum ad communicaturos deportata. 31 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Niſi. Cod. ad SC. Trebell.* adde Jul. *hic n.* 485. 4. *Ecl.* 1. *c.* 5. 32 Conditio legati, inſtitutionis, donationis ita factæ, *Si ſine liberis deceſſerit*, vel, *Si nuptias non contraxerit*, ſacerdotio vel clericatu impletur aut potius remittitur. 33 *l.* 49. *C. de epiſc.* 34 Jul. *hic n.* 486. 35 Alaudia ſcil. *ut hic*, & *Novell.* 76. Quid feuda? vide 2. *Feudorum* 21. 36 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si qua. C. de ſacr. eccl.* 37 Ipſo ſcilicet ingreſſu *Nov.* 5. *c.* 5. 38 Parens etiam poſt ingreſſum monaſterii, teſtari poteſt & hereditatem dividere inter filios. adde quæ dicam ad *Novell. Leonis* 5. 39 Parens, quantumvis monaſterium ingreſſus legitimam tamen cogitur liberis relinquere. 40 Jul. *hic n.* 487. & 4. *Eclog.* 1. *c.* 8. *ad* 11. 41 Jul. *hic num.* 488. 42 Vide Roland. a Valle *de lucro dotis quæſt.* 95. Boër. *deciſ.* 2. *num.* 39. Jaſ. *conſ.* 135. *vol.* 1. Nicol. vand. Hoog. *ſing.* 7. *n.* 7. Anſ.

ſecularem vitam ſectantes, & relinquentes, velut ingratos [1] a ſua excludere hereditate, monaſterium aut monaſticam vitam ſubſequutos. Interdicimus autem parentibus filios ſuos monaſticam vitam eligentes, ex venerabilibus monaſteriis abſtrahere [2].

CAP. XLII.

De monacho monaſterium deſerente.

SI monachus reliquerit ſuum monaſterium, & in aliud [3] ingrediatur: quascunque res tempore, quo monaſterium dereliquerit, habere videbitur: proprio monaſterio in quod ab initio ingreſſus eſt, eas competere jubemus. Providere autem ſanctiſſ. locorum epiſcopos, ut neque monachi neque monachæ circumeant [4] civitates, ſed ſi quod neceſſarium reſponſum habuerint, per proprios reſponſarios [5] hoc agant in ſuis manentes monaſteriis. Si monachus reliquerit [6] monaſterium, & ad ſecularem vitam migraverit: hunc militia, & honore, ſi quem habet, prius ſpoliatum, ab epiſcopo locorum & provinciæ judice in monaſterium mitti, & res quas poſtea habuiſſe probatus fuerit, monaſterio, in quod mittitur, competere. Si vero rurſus reliquerit monaſterium: tunc eum judex provinciæ in qua inventus fuerit, teneat, & ſubdito ſibi officio commoneat [7].

CAP. XLIII.

De raptoribus ſanctimonialium.

SI quis rapuerit [8] aut ſolicitaverit, aut corruperit aſcetriam, aut diaconiſſam. aut monaſtriam, aut quamlibet aliam fœminam venerabilem habitum habentem, hujus res ex talis ſceleris participio jubemus venerabili loco in quo talis fœmina habitat, per locorum ſanctiſſimos epiſcopos & œconomos eorum, nec non etiam cujuslibet provinciæ judices & eorum officia vindicari. Eos autem qui talia deliquerint, & participes eorum ſceleris fuerint, capitale [9] periculum ſuſtinere: talem vero mulierem ubicunque eſt, cum propriis rebus in monaſterio recondi, in quo cautius cuſtodiri poſſit, ut non rurſus in eodem crimine reperiatur. Si vero diaconiſſa fuerit, & filios habuerit legitimos: legitimam partem dari filiis. Si autem intra unum annum poſtquam cognoſcitur tale facinus commiſiſſe, tales res juri venerabilium domorum non vindicentur: jubemus omnibus modis comitem [10] privatarum fiſco noſtro has aſſignare, locorum judice qui neglexerit easdem res vindicare, cingulo privando, & mulctam quinque librarum auri a comite privatarum exigendo.

CAP. XLIV.

Ne liceat laicis & ſcenicis uti monachi ſchemate.

OMnibus itaque generaliter in ſeculari vita converſantibus, & maxime theatralia [11] exercentibus viris ac mulieribus, nec non & proſtantibus interdicimus uti [12] ſchemate monachi, aut monaſtriæ, aut aſcetriæ, aut cujuscunque perſonæ hujusmodi imitari ſchema: ſcientibus univerſis præſumentibus aut uti tali ſchemate, aut imitari, aut illudere in quacunque eccleſiaſtica diſciplina: quia & corporalia ſupplicia ſuſtinebunt, & exilio tradentur: providentibus huic rei non ſolum locorum epiſcopis, & qui ſub eis ſunt clericis, ſed etiam militaribus civilibusque judicibus, & quæ ſub eis ſunt officiis, & locorum defenſoribus. Pœnas autem præſenti legi inſertas, quæ etiam ex prioribus legibus ſunt notæ, non ſolum in futuris, ſed etiam in præcedentibus caſibus ſeu delictis valere, & omnibus modis vindicari ſancimus. Per præſentem enim legem nuper diſpoſitas videlicet pœnas in ſolis futuris temporibus ſervari jubemus.

EPILOGUS.

† Tua igitur gloria, quæ per præſentem legem in perpetuum valituram noſtra ſanxit tranquillitas, per omnia cuſtodiri provideat. Dat. Kalend. Maji, *Conſtantinop.* JUSTIN. PP. Aug. BASIL. [13] V. C. CONS. miſſa Petro præfecto prætorio.

TIT. VII.

UT LITIGANTES [14] JURENT IN EXORDIO LITIS, QUIA NEQUE PROMISERUNT DARE JUDICIBUS, NEQUE DABUNT: ET DE SPORTULIS [15], ET UT QUÆ JUBENTUR, REFERENDARII COMPLEANT, ET NON MISCEANT SEMETIPSOS CAUSÆ, ET PER SE EXEQUANTUR.

NOVELLA CONSTIT. CXXIV.

Imp. Juſt. Aug. Petro glorioſiſſ. ſacrorum prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

PRæſentem legem proferimus, ut & judicum puritas appareat, & non valeat litigantium ſuffragium circumvenire leges.

CAP. I.

JUbemus [16] igitur, quoties apud quoscunque judicantes [17] aut adminiſtratores, lites aut appellationes examinantur: præ omnibus principales [18] litigantium perſonas, aut illos ad quos in medium negotium forte migraverit, in præſentia judicum tangentes ſancta evangelia, jurare [19], quod nihil penitus judicibus, aut patrocinii [20] cauſa ipſis vel alii cuicunque perſonæ pro hac cauſa quolibet modo dederunt, aut promiſerunt, aut poſtea dabunt vel per ſe, vel per aliam quamcunque mediam perſonam: exceptis iis quæ propriis advocatis pro patrocinio [21] præſtant, aliisque perſonis quibus noſtræ leges dari diſpoſuerunt. Hæc autem ſervari præcipimus & in ſacro noſtro conſiſtorio, quando conſultationes intromittuntur, ut ſub præſentia ſacri ſenatus memorata ſacramenta præſtentur. Si autem (ut contingit) aliqui litigantium nequeunt ad judices venire, tunc jubemus præſentes quidem jurare prædictum jusjurandum: ad abſentes [22] autem dirigi ex officiis miniſtrantibus aliquos cum adverſa parte, ut eis præſentibus memorata ſacramenta ſimiliter præbeantur. Si vero mulier fuerit, quæ propter honeſtatem vitæ extraneis viris ſe monſtrare non conſuevit: tunc & abſente adverſario, ex officio miſſos memorata ſuſcipere ſacramenta. Si autem abeſſe partes in aliis locis contingat [23], aut unam earum: præcipimus abſentem in provincia in qua degit, jusjurandum modo a nobis dicto ſub geſtis monumentorum apud judicem provinciæ, aut apud locorum defenſorem præbere. Illo videlicet generaliter obſervando, ut ſi quis litigantium vel præſens hujusmodi jusjurandum præbere noluerit, & hoc manifeſtetur judici: per ſententiam ejus actor quidem caſum actionis, reus autem condemnationem ſuſtineat.

CAP. II.

Si pœnitentia ductus litigator perſonam, cui aliquid dedit, proferat.

SI [24] quis autem ex litigatoribus dixerit ſe dediſſe alicui aut promiſiſſe, & perſonam declaraverit, & hoc probaverit: ipſe quidem in eventu litis veniam mereatur: qui vero accepit, aut promiſſionem ſuſcepit, aut ei probetur: ſi quidem pecuniaria ſit cauſa, quicquid datur, triplum [25]: quod vero promittitur, duplum a comite rerum privatarum exigatur, & dignitatem ſeu cingulum quod habet, in utroque caſu amittat. Si autem criminalis ſit accuſatio, confiſcationem propriæ ſubſtantiæ patiatur, & mittatur in exilium, qui propter acceptionem alienum crimen in ſe tranſponi feſtinavit. Si autem datum aut promiſſum litigator probare nequiverit: juret perſona, quæ datum aut promiſſum dicitur ſuſcepiſſe, quia neque per ſe, neque per aliam perſonam aut accepit aut promiſſionem habuit: & hoc præbito ſacramento, ipſe quidem liber ſit, litigator autem qui non potuit oſtendere, in pecuniariis quidem cauſis æſtimationem litis a comite rerum privatarum exigatur: lite quippe eventum proprium ſuſtinente. in criminalibus autem cauſis confiſcationem ſuarum rerum ſuſtineat, & cauſæ apud competentes judices ſecundum ordinem legum terminentur. Si autem a litigatore manifeſtetur perſona, quæ memoratum refutaverit jusjurandum, tam in criminalibus quam in pecuniariis cauſis, memoratis ſubjaceat pœnis. Si quis autem litigantium juraverit non dediſſe, aut non promiſiſſe, intra decem [26] vero menſes poſt prolatam ſententiam numerandos oſtendatur dediſſe: memoratæ pœnæ & contra dantes [27] & contra accipientes habeant locum. In cauſis autem quæ per tutores aut curatores aguntur, ſacramenta [28] quidem tutores aut curatores præſtent. Si qua vero memoratarum pœnarum locum habuerit per talia ſacramenta, hanc tutores aut curatores ſuſtineant, nullo [29] ex hoc præjudicio generando iis, qui ſub tutela aut cura eſſe noſcuntur.

CAP. III.

De [30] illicitis ſportulis prohibendis.

ET hoc quoque præcipimus ab omnibus judicibus tam militaribus [31] quam civilibus in omni loco noſtræ reipublicæ cuſtodiri, ut neque magiſterianis, neque præfectianis, neque alii cuicunque executori concedant aliquid amplius a quacunque perſona ſportularum nomine percipere quam noſtris legibus declaratum eſt, nec ſi ſacram noſtræ tranquillitatis proferant juſſionem. Sed ſi quidem invenerint aliquid amplius exigentem: licentiam habeant & comprehendere hunc, & includere, & quadruplum exigere quod plus acceperit: ut ſimplum quidem damnum paſſo reddatur, triplum vero inferatur ærario. Si autem civilis aut militaris judex ſive interpelletur, ſeu quolibet modo neglexerit læſum (ſicut diximus) vindicare: ex ſua ſubſtantia quadruplum ſecundum prædictum exigetur modum. Ipſam vero pœnam exigi jubemus per comitem [32] noſtrarum rerum privatarum. Et competentes judices ſi cognoverint aliquos ex ſuis officiis executores ſportularum nomine contra noſtras leges aliquid exigere: & hoc neglexerint vindicare, damus licentiam exactis nihil amplius exigentibus quam ex noſtra conſtitutione definitum eſt, dare: & ſi quid amplius exigere eos voluerint, licentiam habeant eis reſiſtendi [33].

CAP. IV.

Ne judex [34] aliquos ad tranſigendum compellat.

QUia vero lex tam piæ memoriæ patris noſtri, quam etiam noſtræ [35] tranquillitatis diſpoſuit nullo modo judices ſuis ſententiis inſcribere, tanquam ex imperiali verbo ex non ſcripto procedente juſſum ſit aliquos adhiberi, aut præſentari, ſed etiam ſpectabiles referendarios noſtras juſſiones ſecundum quod competit, facere manifeſtas, easdem leges firmantes, jubemus ſpectabiles referendarios [36], in cauſis quas docent, ſeu referunt ad noſtram tranquillitatem, nullam [37] habere licentiam eos, aut adjutores eorum, vel per ſe, vel per aliam quamcunque per-

1 Monachi non poſſunt exheredari, quamvis dum laici eſſent, in cauſam ingratitudinis inciderint. *l.* 55. 56. §. 1. *C. de epiſcop.* forte militum exemplo, jure namque antiquo non potuerunt exheredari, *l.* 26. *ff. de lib.* ut certiſſimum ſit monachum non poſſe exheredari ex cauſa ingratitudinis, quæ monachiſmum anteceſſerit vide Cujac. 12. *obſerv.* 26. *in fin.* quod & a Gratiano relatum 19. *quæſt.* 3. *c. ult.* 23. *q. c. non licet.* Idem omnino extat apud Harmenop. 5. *tit.* 9. *in fin.* Atque ita fallitur Accurſ. *Nov.* 5. & Alciat. 4. *parerg.* 23. negans hoc jure civili conſtitutum. His adde quæ ſcripſi ad *l.* 56. §. 1. *C. de epiſc.* Idem adverſus Alciatum tenet Emanuel a Coſta *in repetitione l. Gallus Aquilius.* 29. §. & *quid ſi tantum.* 5. *num.* 195. 196. 197. 198. *ff. de lib. & poſth.* Et ita monachiſmo deletur ingratitudo erga parentes: & e contrario. 2 *d. l.* 56. §. 1. Jul. *hic n.* 490. 3 *Novell.* 5. *c.* 4. Jul. *hic num.* 491. 4. *Ecl.* 1. *c.* 13. 4 Vide Jul. *hic num.* 492. 5 Διὰ τῶν ἀποκρισιαρίων. *Scrimg.* per apocriſiarios. Jul. *hic.* 6 Jul. *n.* 493. *Ecl. c.* 15. 7 Videtur legendum, *connumeret.* Nam hic Græci legunt, συναριθμείτω, ut pœna deſertoris, de qua *Nov.* 5. *c.* 2. ſit & in ſecundo deſertore. 8 Jul. *hic n.* 494. 9 Stuprum vel inceſtum cum moniali pœna capitis puniri hinc colligunt. vide Clar. 3. *ſent.* 5. §. *fornicatio*, *verſ. cum moniali.* & tamen idem *ibid. verſ. cum presbytero.* ſentit mulieri non eſſe ſacrilegium aut capitale, ſi cum presbytero rem habuerit. 10 Vide *tit. C. de off. comit. rer. privat.* 11 Τοῖς τὰ σκηνικὰ μετερχομένοις. *Scrimg.* & 4. *Ecl.* 1. *cap.* 17. adde Jul. *num.* 495. 12 *l.* 4. *C. de epiſc. aud. l.* 9. *ff. de injur.* & *d. c.* 17. Jul. *hic.* 13 Id eſt, anno 541.
14 Jul. *conſt.* 122. de litigatoribus *Index Reginæ.* περὶ τῶν δικαζομένων Græci hic. 15 Huc refer *c.* 3. 16 Hinc ſumpta eſt Authent. *Principales*, *C. de jurejur. propter calumn.* 17 Quinimo & hoc in conſiſtorio Principis fit. *infr. hic.* 18 Id eſt, ante omnia. 19 Vide Plin. 5. *epiſt.* 7. *Eclog.* 307. *tit.* 4. *cap.* 6. 20 Προστασίας χάριν. 21 Id eſt, exceptis honorariis advocatorum. 22 Id eſt, qui in forum non venerunt. 23 Mittitur nonnunquam ad domum litigatoris, ut juret, vid. *l.* 15. *ff. de jurejurando.* vide *Nov.* 123. *c.* 7. 24 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Novo jur. C. de pœn. judicis qui male judicavit.* 25 Pœnam judicum obſerva, qui quid judicandi cauſa accipiunt. 26 Ἐντὸς δὲ τεσσάρων μηνῶν. *Scrimg.* intra 4. menſes, vid. Cujac. *c.* 6. *de præſcript. in fin.* 27 Dantes & accipientes æque puniuntur. *l.* 31. *C. de epiſcop.* 28 Tutores & curatores jurare poſſunt pupillorum & adoleſcentum nomine *l.* 2. §. 2. *C. de jurejur. propter calum.* Jurant autem de calumnia, de non data pecunia judicibus, id eſt, de conſcientia ſua. Poſſuntne pupillorum nomine jurare in litem? poſſunt, vid. *l.* 4. *ff. de in litem jur.* 29 Pejeratio tutoris aut curatoris, non nocet pupillo vel adoleſcenti. 30 Ut inhibeant judices ſupra dictum modum ſportulas exigi. Jul. *c.* 529. 31 7. *Ecl.* 4. *c.* 6. §. 4. Jul. *hic n.* 529. 32 Vide *tit. Cod. de off. com. rer. privat.* 33 Executori injuſto licet reſiſtere. adde Jul. *hic n.* 530. adde *Nov.* 8. 17. 86. 34 Referendarius ſcil. *infr. hic.* 35 *l.* 2. *C. de mandatis principum.* 36 Jul. *hic n.* 532. 37 Referendarii munus eſt, referre deſideria ſupplicantium ad Principem, & inferre judicibus ſacram juſſionem, non immiſcere ſe cauſis, multo minus prehendere, ſatisdationem exigere, adigere eos ad pactionem aut tranſactionem aliquam: ſi ita eſt, Referendariis ſimiles erunt (quos Galli vocant, *Maiſtres des requeſtes de l'hoſtel du Roy*) huc refer *Nov.* 10. *quæ eſt de referendar. Palat. Novell.* 113. *c.* 1.

ſonam tenere aliquem, aut ſub fidejuſſoribus facere, aut aliquid exigere, aut cogere tranſactiones, aut pacta quædam cum ſuis adverſariis exponere, aut quolibet modo in quacunque cauſa ſe permiſcere. Nihil enim aliud facere eos concedimus, niſi ſolas noſtras juſſiones in quocunque negotio, aut ex ſcripto aut non ſcripto prolatas, competentibus aut deputatis inſinuare judicibus. Si quid autem præſenti legi contrarium aliquis eorum præſumpſerit agere: is quidem qui damnum aliquod aut circumventionem in ſuis rebus pertulerit, nullum præjudicium penitus circa jus proprium ſuſtinebit. Qui vero tale aliquid egerit, ex ſua ſubſtantia damnum læſæ perſonæ delatum, per competentem judicem reſtituere compelletur: & ſuper hoc cinguli & dignitatis ſuſtinebit amiſſionem. Hæc autem omnia jubemus non ſolum in futuris cauſis, ſed etiam in his quæ jam inchoatæ, nondum tamen ſunt terminatæ, ſervari.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia præſentem legem in perpetuum valituram edictis ſolemnibus in regia civitate propoſitis, ad omnium notitiam venire procuret: ut omnes agnoſcant quæ pro communi eorum beneficio a nobis diſpoſita ſunt. Datum * BASILIO [1] CONS.

TIT. VIII.

UT JUDICES [2] NON EXPECTENT SACRAS JUSSIONES, SED QUÆ VIDENTUR EIS DECERNANT.

NOVELLA CONSTIT. CXXV.

Imper. Juſtin. Auguſt. Gabrieli glorioſiſſ. prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

QUoniam quidam judicantium, poſt multa litis certamina, & plurima a litigantibus facta diſpendia in negotiis apud eos motis, ſuggeſtionibus utuntur ad noſtram tranquillitatem: præſenti generali lege hoc perſpeximus emendare, ne dilationes negotiis ex hoc fiant, & aliud rurſus principium examinationis accipiant.

CAP. I.

JUbemus [3] igitur nulli [4] judicantium quolibet modo vel tempore pro cauſis apud ſe propoſitis nuntiare ad noſtram tranquillitatem, ſed examinare perfecte cauſam: & quod iis juſtum legitimumque videtur decernere: & ſi quidem partes ceſſaverint in iis, quæ decreta ſunt, executioni tradi ſententiam ſecundum legum virtutem. Si autem aliquis putaverit ex prolata noviſſima ſententia ſe læſum, appellatione utatur legitima: & hoc ſecundum ordinem legibus definitum examinetur, & perfectum ſuſcipiat terminum. Si autem duo vel amplius fuerint cognitores litis, & aliqua inter eos emergat diſſonantia: etiam ſic jubemus unumquemque eorum ſecundum quod videtur ei, dare ſuam ſententiam.

EPILOGUS.

† Quæ igitur per præſentem legem in perpetuum valituram noſtra tranquillitas definivit, tam tua celſitudo, quam omnes alii judices majores & minores cuſtodire feſtinent: ut nullus penitus ignoret, quæ pro utilitate noſtrorum collatorum a nobis diſpoſita ſunt: ita tamen, ut univerſis interdicatis proprio præcepto, quatenus ſine ullo injuſto diſpendio noſtris collatoribus inſinuatio legis præſentis fiat. Dat. Id. Octobr. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Auguſt. BASILIO [5] V. C. CONS.

TIT. IX.

EXEMPLUM [6] SACRÆ [7] FORMÆ DE APPELLATIONIBUS [8].

NOVELLA CONSTIT. CXXVI.

Imper. Juſtin. Auguſt. Petro glorioſiſſ. prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

MAnifeſte Theodoſius & Valentinianus ſacratiſſimi principes lege [9] expreſſerunt, ut cauſas appellationum quæſtor ſacri palatii una cum præfecto Orientalium prætoriorum, qui pro tempore thronum regat excellentiæ tuæ, ſecundum formam [10] ſacrarum conſultationum examinaret. Invenimus autem in hujusmodi examinationibus aliquid evenire, quod & reipubl. & noſtro indignum ſit imperio. Litigatores enim & procuratores, & horum advocati, & omnes, qui in hujusmodi cauſis miniſterium ſuum adhibent, quaſi nobis ipſis præſidentibus & audientiam præbentibus, tam veſte [11], quam calceamentis [12], & verbis [13] apud noſtros magiſtratus utuntur, quibus ſolummodo uti convenit eos qui ad majeſtatem ingrediuntur Imperatoriam. Quin & ipſi judices non ex propria perſona, ſed quaſi nobis ipſis præſentibus & interloquentibus, ita ſuas proferunt ſententias.

CAP. I.

QUod de cætero in quocunque judicio fieri prohibemus, ſancientes, ut ſacri quidem noſtri palatii pro tempore quæſtor quidem una cum tua excellentia, ſive pro tempore ſacrorum prætoriorum præfecto hujusmodi cauſas examinet: non autem ex noſtra, ſed ex propriis perſonis interlocutorias proferant, & legibus cognitam edant ſententiam: ſolitis videlicet ſcriniis in hujusmodi cognitionibus ſuum adhibentibus miniſterium: ſcientibus quoque magiſtratibus, qui id genus cauſas dijudicant, quod ſi quid hæc contra quocunque modo de cætero deliquerit admiſſum, crimini perduellionis ſubjacebunt.

CAP. II.

IN [14] omnibus præterea appellationibus hoc valere jubemus, ut quotiescunque appellatione interpoſita, intra præfinitum tempus utraque pars fatalem diem obſervaverit, abſque omni dilatione judices tum acta cauſæ, tum partes judicata examinare ſtudeant, & lege ac jure conſentaneam depromere ſententiam. Sin vero ſolus is qui provocavit fatali die ingreſſus fuerit: jubemus, ut judices ſub extremum fatalem diem, ſi vel requiſitus victor non inventus fuerit, examinatis actis cauſæ legitimum adjungent terminum. Si ſolus is qui victricem retulit ſententiam, ingrediatur: qui vero provocavit, requiſitus inventus non fuerit: præſtolentur judices non ſolum ad extremum uſque fatalem diem, ſed etiam per tempus reparationis, hoc eſt, tres menſes. Quod ſi ne tunc quidem inventus fuerit, qui provocavit, non amplius decurſu temporis corroborentur ſententiæ, ſed vel uno tantum parte præſente judices actitata in cauſa & judicata examinent. Et ſi quidem recte prolatam ſententiam invenerint, eam confirment. Si quid in ea per negligentiam omiſſum eſt: id corrigant, & legitimam edant ſententiam. Simulatque [15] vero ſemel appellationis cauſa intra eos dies, qui dilationis cauſa præfiniti ſunt, ſive ab utraque parte, ſive ab una tantum introducta fuerit: non amplius biennii decurſu firmitatem de cætero capiat ſententia, ſed attentis omnibus veritate ac jure conſiderato, terminum hujusmodi cauſis legitimum adhibeant, ſive una, ſive utraque parte præſente. Hoc quoque jubemus, ut in hoc genere cauſarum non amplius, quemadmodum in præſentem uſque diem obtinuit, in primam appellationem omnes cognitiones conferantur, ſed unaquæque cognitio ſuum diem præſcriptum habeat.

CAP. III.

AD hæc ſancimus, ut omnes judices appellationem quidem, quæ intra deputatos dies offertur, neque interdicta [17] eſt legibus, omnibus modis ſuſcipiant [18]. Intra triginta vero dies quam oblata fuit appellatio, acta [19] ex cauſa cum propria ſubſcriptione præbeant litigatoribus, ut illi pro ſuo hæc auxilio competenti poſſint inſinuare magiſtratui. Quod ſi quis judicum hoc neglexerit: ſententia quidem temporis decurſu confirmabitur, ipſe vero judex, qui iſta non obſervavit, quodque huic apparent, omne damnum, quod per cauſam non editorum actorum litigator ſuſtinuerit, ex propriis facultatibus ei reſarcire compelletur, & denarium librarum auri pœnam noſtris inferendam rebus privatis perſolvet.

EPILOGUS.

† Glorioſa igitur, & magnis rebus gerendis nata auctoritas tua præſentem legem & in regia urbe proponere ſtudeto, *& alibi manifeſtam facere procurato*, ut omnes cognoſcant, quid obſervare debeant.

TIT. X.

UT FRATRUM [21] FILII SUCCEDANT [22] PARITER AD [23] IMITATIONEM FRATRUM ITA ASCENDENTIBUS EXTANTIBUS. ET UT MULIERES NON INSINUATA [24] ANTENUPTIALI DONATIONE NON LÆDANTUR: NON INSINUANS AUTEM VIR, VEL SI COMPETAT NUPTIALE LUCRUM, EO NON FRUATUR. ET UT MULIERES SECUNDO NUBENTES, DOMINÆ SINT PARTIS SPONSALITIÆ LARGITATIS, QUANTUM [25] PARS FACIT UNIUS FILII. ET UT SIMILIS SIT POENA UTRIUSQUE SEXUS, DUM SINE [26] CAUSA RATIONABILI REPUDIUM MITTITUR.

NOVELLA CONSTIT. CXXVII.

Idem Auguſt. Baſſo præfecto prætoriorum.

PRÆFATIO.

NOſtras leges emendare [27] nos non piget, ubi utilitatem ſubjectis invenire volumus. Meminimus igitur ſcripſiſſe legem [28], ut ſi quis moriatur relinquens fratres, & alterius fratris filios præmortui: ad ſimilitudinem fratrum, & præmortui fratris filii [29] ad hereditatem vocentur, paternum adingredientes gradum, & illius ferentes portionem. Si vero moriens relinquat aſcendentium aliquos, & fratres ex utrisque parentibus conjunctos ſibi, & filios ex præmortuo fratre: fratres quidem juſſimus per ipſam legem cum parentibus vocari: fratris vero filios excluſimus.

CAP. I.

Ut fratrum filii ſuccedant etiam aſcendentibus primi gradus extantibus.

HOc [30] itaque juſte corrigentes ſancimus, ut ſi quis moriens relinquat aſcendentium aliquos, & fratres qui poſſint cum parentibus vocari, & alterius præmortui fratris filios: cum aſcendentibus & fratribus vocentur etiam præmortui fratris filii, & tantum accipiant portionem, quantam eorum futurus erat pater accipere ſi vixiſſet. Hoc vero ſancimus de illis filiis fratris, quorum pater ex utroque parente jungebatur defuncto, & abſolute dicimus: ordinem, quando cum ſolis vocantur fratribus, eundem eos habere jubemus, & quando cum fratribus vocantur aliqui aſcendentium ad hereditatem, [hoc [1] jubentes ex Kal. Jan. præſentis indictionis undecimæ.]

1 Id eſt, anno 541.
2 Ut judices nulla relatione utantur ad Principem, Jul. *conſt.* 112. de Judicibus. *Index Reginæ.* Goth. Vid. Rittershuſ. *expoſ. nov. part.* 9. *cap.* 7. Anſ. 3 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Novo jure. C. de relat.* 4 Hac Novella tolluntur relationes judicum, quæ ſuperioribus comprobatæ ſunt. *Novell.* 82. *c.* 14. *Nov.* 113. *c.* 1. *Nov.* 115. 5 Id eſt, anno 541.
6 Græci ἴσον appellant. 7 Julianus hanc hujus Novell. inſcriptionem habet. Quomodo ſacrum auditorium celebrari oportet, & poſt *cap.* 42. *de appellationibus.* Goth. Vid. ad hanc Nov. Rittershuſ. *in expoſit. Nov. part.* 10. *cap.* 6. Anſ. 8 Vid. Jul. *conſtit.* 113. adde *Novell.* 20. & 23. *c.* 2. 9 *l.* 32. *C. de appell.* 10 Id eſt, ſervata forma & obſervatione, & iisdem temporibus, quibus in ſacro conſiſtorio lites [illegible]

13 [illegible]

21 De ſucceſſione, [illegible]

Quando donatio propter [2] nuptias inſinuationi [3] ſubjaceat. (CAP. II.)

CAP. II.

Quando donatio propter [2] nuptias inſinuationi [3] ſubjaceat.

ILlud [4] quoque dignum correctione aliqua eſſe judicantes, partem hoc præſentis facimus legis: ex ipſo enim rerum invenientes experimento, neceſſarium eſſe mulieribus, actis monumentorum antenuptiales donationes inſinuari, ut [5] vel ſi principalia inſtrumenta [6] pereant, (quod facile eſt,) per monumenta matrimonii ejus probatio maneat: ſancimus neceſſitatem habere viros ipſos, aut etiam qui pro eis antenuptiales donationes ſcribunt, ſi quingentorum [7] ſolidorum tranſcendit quantitatem, inſinuare eam in actis monumentorum, in regia [8] quidem civitate apud [9] magiſtrum cenſus: in provinciis autem apud uniuscujusque civitatis defenſorem, aut apud quos omnino talia documenta confici poſſunt. Si vero non inſinuent eas: quantum [10] quidem ad partem mulieris, etiam ſic eas valere jubemus, & ſi tempus fiat exactionis, donationis, & partis ejus: non opponi mulieri non inſinuatam fuiſſe donationem. Si vero dotalium pacta & horum eventus parti [11] viri concedunt actionem dotis, aut etiam ejus partis: nullam eum habere jubemus actionem, ſi non donationem inſinuavit in actis monumentorum, ſicut dictum eſt, viris enim habentibus poteſtatem inſinuare donationes, pro non inſinuatis periculum mulieribus imminere, ineptum nobis eſſe videtur.

CAP. III.

Ut mulier quæ ad ſecundas [12] non tranſit nuptias, tantum habeat, quantum unus filiorum.

QUia [13] vero mulieres ad ſecundas nuptias non venientes, portione aliqua dignas ultra eas quæ ſecundo nubunt eſſe putamus: ſi qua amiſſo viro, alterius abſtineat nuptiis, habere quidem eam uſum antenuptialis donationis, ſicut prius ſancimus: habere vero eam & proprietatis [14] tantum, quantum filiorum quantitas faciat: ut ſecundum proprietatis rationem unius & ipſa filii perſonam obtinere videatur. Hæc vero valere non in matribus ſolis jubemus, ſed etiam in patribus, & aliis aſcendentibus volumus, ad ſecundas nuptias non venientibus.

CAP. IV.

Matrimonium ſine [15] cauſa diſſolvendum non eſſe.

QUia vero interdiximus dudum per noſtram legem & viris & mulieribus repudia mittere, & tranſigere matrimonia, (niſi tamen quædam ſit cauſa noſtræ legi cognita) & pœnas hoc facientibus & viris & mulieribus impoſuimus: mutationem quandam circa pœnas viri ac mulieris facientes, & ad melius hoc transformantes, ſancimus nullam eſſe differentiam quantum ad pœnam inter virum & mulierem hoc præſumentes: ſed iisdem [16] pœnis quæ contra mulieres a nobis definitæ ſunt, ſi ſine cauſa noſtræ legi cognita matrimonia diſtrahant, etiam viros ſubdi hoc præſumentes, & ſimiles pœnas eſſe in viro, & in muliere. in delicto [17] enim æquali ſimiles eis imminere pœnas juſtum eſſe putamus.

EPILOGUS.

† Præſentem igitur generalem legem noſtram manifeſtam tua gloria faciat per edicta ſolennia & iis qui hanc maximam civitatem, & qui provincias habitant: ut nullus hominum quæ ad ſalutem communem ſancita ſunt a nobis, ignoret. Dat. 5. Kal. Sept. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XXII. [18] poſt Conſ. BASILII V. C. Anno VII.

TIT. XI.

DE [19] COLLATORIBUS, ET ALIIS CAPITULIS.

NOVELLA CONSTIT. CXXVIII.

Imp. Juſt. Aug. Petro glorioſiſſ. ſacrorum prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

CAP. I.

QUæcunque ad utilitatem noſtrorum collatorum reſpiciunt, ſtudentes adimplere, & hanc præſentem ponimus legem: per quam ſancimus per Julium vel Auguſtum menſem uniuscujusque indictionis, particulares diſpoſitiones collationum futuræ indictionis in foro uniuscujusque diœceſis glorioſiſſimorum noſtrorum præfectorum ſub confectione monumentorum manifeſtari: declarantes quantum unicuique provinciæ ſive civitati pro unoquoque jugo [20], aut villis, aut centuriis [21], aut alio quolibet, tam in ſpecie quam in auro, fiſcalium cauſa imminet: indicantes quoque ſpecierum æſtimationem ſecundum menſuram in unoquoque loco tenentem, & quicquid ex his in arcam inferri, aut in unaquaque dari aut expendi oportet. Sic igitur compoſitas tales diſpoſitiones provinciarum judicibus mox deſtinari in prooemiis [22] uniuscujusque indictionis, & per eos proponi in civitatibus ſub eis conſtitutis intra Septembrem aut Octobrem menſes. Sed & volumus exemplaria eorum ex foro glorioſiſſimorum præfectorum ſine dilatione dari: ut collatores cognoſcant quemadmodum debent collationem inferre. Si vero ante inſinuationem in alios titulos, præter eos, qui continentur particulari diſpoſitione anni, collatores fiſcalia exolvant, aut in provincia expendant: jubemus eis in ejusdem indictionis collationes hoc reputari: ut nullum ipſi patiantur damnum. Si vero ſecundum a nobis definitum tempus non dirigantur hujusmodi particulares diſpoſitiones: qui quidem per tempus gubernant noſtrum prætorium, triginta librarum auri pœnam perſolvant: uniuscujusque vero provinciæ contractæ quinque & viginti librarum auri pœnam exigantur. Si autem judex miſſus eaſdem particulares diſpoſitiones, in provinciis non propoſuerit, decem librarum auri pœna damnabitur, & ſpoliationem cinguli ſuſtinebit: ejus quoque officium quinque libras auri exigetur.

CAP. II.

JUbemus vero ſpecierum quidem illationem mox ex principiis [23] uniuscujusque indictionis incipere: argenti vero illationis titulum ſecundum definita tempora.

CAP. III. [24]

PRo fiſcalibus autem collationibus deſuſcepta [25] ſive ſecuritates particulares aut plenarias [26], omnibus ab iis qui fiſcalia ſuſcipiunt, fieri definivimus, manifeſtantes & ſolidorum qualitatem [27], & ſpecierum, necnon & jugorum [28], ſive villarum, ſive centuriarum [29] & nomina poſſeſſionum, pro quibus functiones ſuſcipiunt. Si vero ſecundum prædictum modum deſuſcepta [30] ſive ſecuritates non fecerint: jubemus eos & pœnam x. librarum auri exigi, & tormentis ſubdi: ſimiliter judicem provinciæ decem librarum auri exigi pœnam, ſi de hoc interpellatus non judicaverit, & compulerit deſuſcepta ſive ſecuritates ſecundum quem definivimus ordinem ſcribi.

CAP. IV.

HOc autem jubemus obſervari, ſi quis forſan collatorum dubitat [31] de poſſeſſione pro qua fiſcalia exiguntur, aut pro qua fiſcalium quantitate: omnibus modis fiſcalium [32] deſcriptionum cuſtodes cogi a provinciæ judice, aut illo negligente a locorum ſanctiſſimo epiſcopo eas proferre & fiſcalium oſtendere quantitatem, & ſervitutem publicæ deſcriptionis exigi poſſeſſorem.

CAP. V.

ET in hoc quoque adjuvare noſtros collatores perſpeximus, ut non neceſſitas inferatur poſſeſſoribus [33] ſub hypothecis decimationes nominare in auro collationis, ut non aliquam ex hoc ipſi patiantur læſionem, ſed eos quibus in unaquaque provincia aut civitate periculum fiſcalium exactionum imminet, ſive [34] vindices [35] ſint, ſive curiales, ſive exactores, aut canonicarii [36]: aut alii quidam: proprio periculo & ſuſcipere pecunias & transmittere, & expendere in quibus deputatæ ſunt utilitatibus.

CAP. VI.

ET hoc cuſtodiri jubemus, canonicarium [37] talem in provinciam deſtinari, qui poſſit periculo ordinantium [38] eum exigere fiſcalia tributa, & per nullam [39] occaſionem impulſorem [40] poſt eum mitti, & damnum ſubjectis inferri impulſionis: & ipſum vocabulum [41] de cætero perimimus. Si vero non opportunus inveniatur canonicarius: non impulſor mittatur, ſed illo remoto alter dirigatur canonicarius. Ipſum quoque canonicarium contentum eſſe jubemus deputatis conſuetudinibus [42], & nullam ſubjectis inferre læſionem.

CAP. VII. [43]

SIn autem aliquando contigerit ſuperindictionem [44] cujuslibet poſſeſſionis conſervæ [45] aut contributariæ fieri: ex illo tempore jube-

1 Incluſa deſunt in Scrimgeri editione, leguntur autem apud Haloandrum.
2 Quid dos? nunquam inſinuanda. *l. ult. C. de jure dot.* licet a veteribus nominata inter donationes *l. ult.* §. 1. *C. de donationibus ante nupt.* Et conſtitutionibus regni Galliæ, & dos, & omnes contractus inſinuantur, ut falſitatis nulla ſit occaſio: longe melius, quam Leonis Novell. 50. quæ donationibus ſcriptis inſinuationem remittit. 3 Intimationi. Julianus *hic*, *n.* 425. 4 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Eo decurſum. Cod. de donationibus ante nupt.* 5 Utilitas inſinuationis. 6 *l.* 6. *in fin. l.* 7. *ff. de edendo.* 7 Quotæ quantitatis donationes inſinuandæ ſint. 8 Qua in urbe, ſeu quo in loco donationes propter nuptias inſinuandæ. 9 Apud quem judicem donationes propter nuptias inſinuandæ. 10 Inſinuatio donationis propter nuptias valet ex parte uxoris: ex parte viri non valet, cum donatio non inſinuata ei non pariat æquale lucrum ex dote in caſum mortis uxoris, vel injuſti repudii. 11 Et ita abrogatur *Nov.* 119. *c.* 1. quæ remittebat viro inſinuationis neceſſitatem, abrogantur eodem modo leges aliæ, quæ volebant donationes propter nuptias omnimodo inſinuandas, etiam ex parte mulieris, niſi donatio collata fuiſſet in matrem familias minorem vigintiquinque annis, vid. *l.* 17. *C. de donat. ante nupt.* 12 De his qui ſecundas contrahunt nuptias, Jul. *hic num.* 406. Goth. Adde *Novell.* 98. & Rittershuſ. *part.* 5. *cap.* 15. Anſ. 13 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si tamen. C. de ſecund. nupt.* 14 Abſtinens ſecundis nuptiis donationis antenuptialis uſu fruitur: in virilem vero proprietatis bonorum concurrit cum liberis mariti defuncti, adde *Novell.* 22. *c.* 30. & abrogatur ita *Novell.* 98. *c.* 1. quæ vult, ut proprietas propter nuptias donationis ſervetur filiis. Sed huic Novellæ derogatur per *Novellam Leonis* 22. 15 Jul. *num.* 427. 16 Pœna, quæ mulieribus, eadem maritis diſſidium, ac divortium facientibus eſt impoſita, abrogantur itaque leges, quæ gravioribus pœnis mulieres coërcebant, vide Julianum *hic n.* 427. hic enim uterque ſine cauſa repudium mittens, in monaſterium detruditur. adde *Nov.* 134. *c.* 11. Vide Cujac. *ad Nov.* 22. *fol.* 76. 17 Paribus delictis, par imponenda eſt pœna. 18 Id eſt, anno 548.
19 De exactionibus ſive delegationibus tributorum, Julianus *conſt.* 124. de exactione publicorum tributorum, *Index Reginæ:* περὶ τῆς τῶν δημοσίων ἀνύσεως καὶ καταβολῆς καὶ ἑτέρων κεφαλαίων *Scrimg.* de publicis tributis exigendis, & ſolvendis neque non aliis capitulis. *Haloand.* 20 Ὑπὲρ ἑκάστου ἴουγου ἢ ἰουλίων ἢ κεντουρίων. *Scrimg.* & *c.* 3. J. *hic*, ut *Nov.* 17. *in Baſilicis*, ἰουλίων. ἰουγαλίων legit Cujac. *ad l. pen. C. ut nemini liceat in coemption.* ἰουγαλίων vocabulo intelligit ζυγοκέφαλα, id eſt, jugationem & capitationem ſimul, quam nonnulli præſtant: aliis ſolam jugationem præſtantibus. *Goth.* Vid. Rittershuſ. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 22. adde *Nov.* 17. 95. & 130. 21 Centenariis Jul. *hic:* Centuria *hic*, & *in l.* 1. *C. Theod. de annonis & tributis lib.* 11. ducenta jugera, Varro 4. *de lingua:* Siculus Flaccus *de cond. agr.* Hyginus *lib. de limitib.* hinc centuriatio apud eundem Flaccum. 22 Indictionum initia erant menſe Septembri ut J. *hic.* & *l. ult. C. de annonis & tributis. l.* 1. *C. de milit. veſte.* 23 Id eſt, initio, ex ordine cujusque indictionis Jul. *hic num.* 543. 24 De apochis publicis Jul. *n.* 544.
25 Ἀποχὰς ἢ ἀμεριμνίας. 26 Πληναρίας. *Scrimg.* Plenariæ apochæ ſunt totius debiti apochæ generales. Eodem forte ſenſu dicuntur in edicto de Alexandrinis *cap.* 23. §. 1. Gregorius plenariam minutionem dixit 4. *epiſt.* 27 *En quelle eſpece le payement a eſté fait.* 28 Τῶν ἰούγων ἤτοι τῶν ἰουλίων. *Scrimg. hic ut ſupr. hic in pr.* 29 Dixi *ſupr. in pr.* 30 Ἀποχὰς ἤγουν ἀμεριμνίας. *Scrimg.* 31 Jul. *hic n.* 545. 32 Τῶν δημοσίων ἀπογραφῶν φυλακάς. *Scrimg.* Id eſt, cenſuales. *Nov.* 17. *cap.* 8. 33 Sic legunt Græci, ὥστε μὴ ἀνάγκην ἐπάγεσθαι τοῖς κτήτορσιν ὑποδέκτας ὀνομάζειν τοὺς ἐν χρυσίῳ συντελεστάς. *Scrimg.* id eſt, ne qua poſſeſſoribus inducatur neceſſitas, ut aurariæ contributionis ſuſceptores nominent. 34 Græci ita legunt, εἴτε ἄρχοντες εἶεν, εἴτε πολιτευόμενοι εἴτε ἐξάκτωρες, εἴτε βίνδικες, εἴτε κανονικάριοι, ἢ ἄλλοι τινές. *Scrimg.* 35 Vindices ab Anaſtaſio creati Nicephor. 16. *c.* 44. ita dicti, quod iniquis exactionibus curialium eſſent oppoſiti, adempta curialibus exigendi facultate, ut Evagrius ſcribit, de quibus *Nov.* 38. *in pr.* & 134. *c.* 2. ubi plenius dicam de vindicibus. 36 Vid. *c.* 6. 37 Canonicarii Palatini mittuntur in provincias ex ſcrinio canonum ad exigendos ſolemnes titulos fiſcales ſeu canones: mittuntur autem vel a comite domorum vel præpoſito ſacri cubiculi *Novell.* 30. vel a comite privatarum, ut eſt in formula Caſſiodori: Canonicarios dirige. Iidem ſcriniarii dicuntur. *Nov.* 134. *cap.* 2. 147. Novella Majoriani *de indulg. rel.* Canonicarios autoritate terribiles & in provincialium viſcera & damna ſævientes. *poſt.* Canonicariorum venalis improbitas. ut differant a vindicibus, vide quæ dicam ad *Novell.* 134. *cap.* 2. adde Cujac. *hic.* his adde Julian. *hic num.* 547. 38 Nominatorum. Jul. *d. loco.* 39 Et ita abrogatur lex ultima *Cod. de exact. trib.* 40 Ἐπιδευτήν. *Hal.* ἐξπελλευτήν. *Scrimg.* expelleutam. Jul. *hic.* expulſorem. *Agylæus.* 41 Impulſoris ſc. ſeu compulſoris. 42 Solatiis. Jul. *hic.* 43 Quando ſteriles agri fertilibus imponuntur. Jul. *hic num.* 548. περὶ ἐπιβολῶν. quod onus fuiſſe τῶν ἐρήμων καὶ ἀπόρων χωρίων, & Juſtiniani tempore invaluiſſe ſcribit Suidas. qua de cauſa multæ conſtitutiones Juſtiniani novæ latæ ſunt, ut 17. 166. 168. 44 Ἐπιβολὴν, ἐπιβολή, eſt ſuperindictio, ſive ſuperindictum. J. hic intelligitur fieri, quoties defecti agri onus fertili imponitur. 45 Οἱασδήποτε κτήσεως ὁμοδούλων ἢ ὁμοκήνσων. *Scrimg.* agri ὁμόδουλοι ſunt in cenſum relati cum aliis, qui poſtea facti ſunt deſerti ὁμοκήνσοι, ſimul cenſiti quidem, ſed quarum pars vendita eſt, ὁμοδούλων & ὁμοκήνσων agrorum onus pertinet ad fertilium agrorum poſſeſſores, & poſſeſſorem ditiorem vel præſentem *cap.* 8. J. *hic.* ne quid alioquin fiſco depereat. Eadem ratione agrorum defectorum & deſertorum onus ad ὁμοχώρους, id eſt, ejusdem territorii poſſeſſores pertinet. *Nov.* 17.